

cum cauda & capite evidentissime obser-
vantur, *cancri petrefacti*, in quibus chelæ
adhuc rubent, *araneæ*, &c. Vegetabilia
petrificata etiam ex fodinis Manebacensi-
bus copiose eruuntur, in quibus fibræ
plantarum, figuræ nitidæ, satis distinctè
conspiciuntur, quales plantæ sunt: *Arun-*
dō vulgaris, *polypodium*, *filix mas* & *fæ-*
mīna, *Equiseti diversæ species*, &c. Qui
vero de hujus rationis veritate dubitat, le-
gat jam laudatorum virorum libros, de
hac materia conscriptos, hosque lapides
paullo diligentius inspiciat, imprimis vero
illa specimina, quæ semipetrificata sunt.

§. 3. Quamvis jam certum sit, quod
multa animalia atque vegetabilia, in lapi-
des conversa, Diluvii Universalis monu-
menta sint, tamen maxime probabile, & ra-
tioni consentaneum esse mihi videtur, etiam
quædam animalia aut vegetabilia petrifica-
ta, in certis regionibus reperta, à particu-
lari inundatione, in illa regione ante mul-
tos annos observata, aut à quodam terræ
motu majori, derivare voluisse. Magnæ
enim inundationes certas terras aut regio-
nes diluendo evertunt, quarum tristissi-
mum exemplum, de Frisia Orientali no-
stra